

tem imbecille fit membrum. Et fortasse aucta fuit ista imbecillitas ex ægritudinibus, quæ debilitate stante, non mirum factam esse sentinam malorum humorum. Sed cur falsus humor delatus, & collectus est ad vesicam? Ex temperatura habetur. Credo esse sanguineæ naturæ, ut patet ex colore & alijs, non est tamen æqualis temperatura.

Est subiectus catarrho, & est illi familiare eo laborare, præterea habet fortè ex ocio (est ex vrina, ubi aquæ & vina sunt crudissima, quæ habent naturam saxi) & ex aqua cruda, quæ certè, teste Aristotele, valde vlcera corpora. Aer etiam ibi est valde subtilis, non mirum igitur si multa pituita colligatur in eo, & stomachus etiam pituitosus fiat. Præterea studuit vehementer, surrexit hora duodecima in ista hyeme, præterea sanguinei abundant pituita, & putredine citò corripuntur. A putredine fit falsedo sine dubio, & cum putredines abundant in sanguineo, falsi poterunt fieri pituitosi humores, hinc fortent talia corpora circa axillas & inguina.

Cura. Istis ita stantibus, &c.

Prognost. Si temperatura talis est, ut diximus, vesica imbecillis & sentina superfluitatum, difficile est ægritudinem tam longam arte remouere & curare omnino. Sed tamè credo, si vult obtemperare mandatis, si nõ curabitur omnino, saltem melius habebit, & leuius cruciabitur. In podagra etiam, non potest medicus totam curare & auferre: potest autem mitigare paroxysmos illorum podagricorum. Quid agendum? Morbus est materialis, & mundandum totum corpus, cum sint hinc tria, membrum debile mandans fortasse cerebrum, quia de catarrho conqueritur, & putredinem habemus, quæ fit ratione calidi hepatis. Euacuemus mandantia membra, corroboremus membrum recipiens & diuertamus ac asuefaciamus naturam ad alias vias. Ista tria sunt facienda. Pro primo, sanguis est mittendus, ætas, tempus, temperatura, ægritudo attestantur. Est in venis quæ putrescit materia, & erit quædã etiam diuersio. A qua vena? A vena hepatis. Diceret quis, est contrarium Galeno, in 7. Aphor. 49. in casu proprio, ubi se remittit ad 36. Aphor. libri superioris, & dicit non esse secandas venas in brachio, sed in pede interiores. Licet postea totum Aphorismum tãquam supposititium reijcit. Sed ad rem. Ego hinc consulo mittendum sanguinem ex basilica: quia volo euacuare causam antecedentem, non quæ est in vesica, ita totum corpus rarius fit. Expurgatur etiam hepar & fit frigidius, mûdificato prius ventriculo cum minoratiuo, ut flore cassiæ. Syrupi pro cõcoquenda materia pituitosa, quæ est crassa & salsa. Oxymel Gal. laudo, 3. de Reg. acut. habet efficaciam in ægritudinibus vesicæ, mel rosatum optimè placet, & quæ dicta sunt. Ad reuersionem caliditatis, que facit falsedinem, laudo omnia dicta à Doctore, syr. de endiuia, viol. & de nenuphare, portulaca, si necessitas postulat, cum decocto vel aqua endiuia, capill. Veneris, ut ducatur ad vias vrinae aquæ violarum, plantaginis. Euacuantia sunt leuia, quia ex scammoniatis vlcera fierent, & rationes maiores faciunt, & præcipitent materias

A ad locum affectum, quare non exquisitè vna vice purgandum. Agaricum non abhorrerem, quia competit maximè vesicæ, non est multum metuenda medicina, & non excederem agaricum. Pro abstersione à proprio loco placeret terebinth. pinguis in quantitate nucis parua, & cum zuccharo ros. deuoraret, & 3. iiii. statim aqua capill. Veneris, althææ, agrim. aut liquiritiæ superbibat. Postea ad corroborandam vesicam, vtatur perpetuò ter aut quater in septimana, rhab. cum zuccharo ros. esset enim optimum pro confortatione. Et quia est continuus fluxus ad vesicam, debet esse continua auersio. Fiat & cauterium circa crura factis illis euacuationibus prius. Experimento vidi nihil conuenire in his affectibus plus balneis nostris Veronensibus, sed prius sumptis balneis Patauinis. In ratione victus bene se gerat. A coitu absteineat.

CONSILIVM CCXCI.

C *In caliditate renum cum alijs affectionibus pro Illustriss. Domino N.*



X his quæ auditu accepimus, probabile est Illustrissimum D. tenuioris texture & sanguinis subtilioris à primo ortu esse: vnde & corpus habuit facile à quacunq; leui causa resoluibile, & ingenium ad omnes actiones promptissimum. Est autem proprium huiusmodi temperaturæ, ut laborum omnium impatientissima sit, & si contra naturam eniti velit, maximis inde incommodis affici solet, contingitque plerumq; in illa ut hepar quidem calidum & siccum habeat, ventriculum verò frigidum, quæ simul omnia conuenire in sua Illustr. Dominatione symptomata ostendunt. Neque enim propter aliud patitur animi molestias & sollicitudines, quàm propter continuos flatus turbidosq; vapores à membris inferioribus ad cerebrum ascendentes. Inde promptitudo ad vigilias, renes etiam calidiores, hinc naturalis promptitudo ad Venerè, nocturna polulatio, quia vasa vicina calefiunt: semè enim & appetitus in Venerè præcipuè excitatur à caliditate & à flatu, quorum vtrunq; in hoc corpore excellit. Has oës dispositiones vita aulica, assidua negotiorum cursationes, equitationes, auxerunt. Item ratio victus nimis lauta, crebræ aeris mutationes. Nõ mirum igitur si istis incommodis nunc vexetur, & subinde maiorib. ætatis progressu, præsertim si in molestijs aulicis & victus ratione perseverabit, & ipse in manus medicorum incidet, qui nõ intelligunt naturam morbi. Facile enim exhaurient & exiccabunt quicquid adhuc viget boni spiritus, radicalis humoris & caloris innati. Non minus ergo à multis medicis, quàm ab ipsis morbis caueri debet, veramq; præseruationem cõstituere in remotione molestiarum & cõgrua victus ratione. Eligat liberam vitam, nec teneatur ambitione. Nam, ut liberè dicã, nullum seueriorè tyrannum ambitione agnouimus. Si ergo liberam vitam elegerit, quiescent illi animi cogitationes & motiones. Et simpliciori cibo ac potu, uti poterit, à quibus omnib. spiritus & qualitate, & quantitate recreati, totum corpus robustius redent, oësq; actiones validiores efficiuntur, vnde inculpa-